

# BENIVOLO LECTORI

S.

Cum in animo mihi esset, summam Christianae religionis praestantiam atque dignitatem aliquanto vberius ex eo demonstrare, quod omnes omnium gentium sapientes, quotquot eorum sacrarum litterarum caruerunt lumine, turpissimis sese grauissimisque de natura diuina erroribus obstrinxerint; incidi in accuratiores paullo quaestiones de theologia Graecorum, in quam, tamquam in commune quoddam receptaculum, errores caeterarum gentium omnes emitti videntur esse atque deriuati. Multa passim obseruaui nec iniucunda, arbitror, scitu, nec fortasse etiam vbiuis obuia. Verumtamen omnes persequi Graeciae philosophos hoc quidem tempore nec lubet nec vacat: duos TIBI exhibeo speciminis loco viros, qui principes Graecorum artem quandam atque disciplinam vt vniuersae philosophiae, sic & theologiae instituisse constanti feruntur memoria: in quorum theologica ratione exquirenda quid a me praestitum sit, iudicium omne penes TE esto. Facile credo, non defuturos, qui totum hoc disputationis genus leue nec satis dignum putent, in quo exercentur ingenii vires. Equidem magnos viros, quorum vires maiori sustinendo oneri & pares sunt & destinatae, ad has reuocare minutiores curas quis cupiat? Sed quod ad me attinet, & delector istis quaestionibus, neque eas ad intelligendas sublimiores interioresque litteras vtilitate carere insigni quotidie experior. Quocirca & quantulumcunque mihi a potioribus negotiis super-

super-